



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

35 Sacramento confeßionis abutens vehementem suspicionem haeresis
incurrit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- ut in pluribus, quod talia agens, vel dicens est hæreticus, ut si quis negat explicitè, palàm, & publicè ea, quæ debet ex officio scire, plusquam alij, quamvis possit etiam talis negatio ex ignorantia provenire, vel animi levitate, non autem ex hæretica pravitate. Ioann. Gerf. *in tractat. de potest. & considerat. 12.* quem sequitur Pegna *dict. comment. 80. vers. quare Ioannes quest. 55. numer. 4. par. 2.* & facit tex. *in cap. accusatus, in princip. de hæret. in 6.* & plures sunt casus quibus quis vehementer de hæresi suspectus est habendus.
- 30 Primus est, † quando quis vocatus ad respondendum de fide, subterfugit contumaciter se absentando, vel occultando, infra terminum sibi assignatum non comparando. *cap. cum contumacia, & ibi gloss. in ver. vehementer, de hæret. in 6.* & est excommunicatus; unde si per annum in illa excommunicatione persistit, vehemens suspicio transit in violentam, qua ut hæreticus, quis est condemnandus, *ut per dict. gloss. & Direct. inquisit. qu. 56. num. 5. in fin. par. 2.*
- 31 Secundus, † cum quis directè, vel indirectè scienter impedit Inquisitoris officium. *Direct. Inquisit. ead. quest. 56. nu. 2. per tex. in c. ut Inquisitionis negotium, §. fin. de hæret. in 6.*
- 32 Tertius, † est eorum, qui scienter auxiliium, consilium, vel favorem præstant, impediendis Inquisitoris officium; quia isti, tanquam iniuri, & principalis iudicis mandati in causa fidei contumaces, sicut, & impediendes, excommunicationis sententiam incurrunt. *dict. c. ut Inquisitionis negotium, §. fin.*
- 33 Quartus, † casus est eorum, qui instrunt citatos in causa hæresis de celanda veritate, vel dicenda falsitate, qui ab Inquisitoribus possunt castigari, *cap. accusatus, §. fin. de hæret. in 6. & Director inquisitor. ead. qu. 56. nu. 4.*
- 34 Quintus, † si quis eos, quos scit hæreticos scienter recepat, deducit, visitat, sive associat, ac dona, seu munera eis dat, seu mittit, seu alias favorem eis impendit, *d. c. accusatus, §. illud quoque.*
- 35 Sextus, † si quis in sacramento confessionis ad venerem, vel ad quæque flagitia, seu peccata provocat confitentem, qui inquisitorum iudicio subijcitur. Pegna *eod. comment. 81. vers. illa quoque.* Et mihi tunc Vicario generali Episcopatus Vercellen. super eodem casu priusquam scripta per præfatum Pegnam vidissem, sacram congregationem Inquisitionis consulenti, Cardinalis S. Severinæ supremus Inquisitor suis familiaribus litteris datum Romæ, 28. Junij 1597. rescripsit, quod à multo tempore citra similes causæ fuerant in sancto officio Inquisitionis discussæ, & ita observari in sancta universali Inquisitione Urbis, omnibusque aliis Inquisitionibus Italiæ & Hispaniæ, ac ubique: quia similia tentantes malè de sacramento pœnitentiæ sentire videntur, & hoc fuisse institutum ad salutem peccatorum, vigore brevium fel. rec. Pauli Papæ IIII, Pijetiam IIII, & Sixti Quinti.
- 36 Septimò, † eadem ratione est suspectus, qui prima uxore vivente, eo sciente, aliam in uxorem ducit. Albert *in tract. de agnosc. assert. quest. 23.* Simanc. *de cathol. institut. tit. 40.* & Pegna. *eod. comment. 81. vers. de eo qui.*
- 37 Octavus, † casus est eorum, qui quævis ex inquisitoribus, advocatis, procuratoribus,